

Order of Saint Lazarus: Primary sources

Leo X, Pope of Rome. Pope Leo X, on the recommendation of King Françoise I of France, transfers the management of the Order of St. Lazarus to Claude de Mareuil dated June 1519. Original document lost; copy on paper. Archivo Segreto Vaticano, Registro Vaticano 1192, fol. 196 verso - 198.

- Transcribed in: R. Hyacinthe. L'Ordre de Saint-Lazare de Jérusalem au Moyen Age. Études & Communication Édition, Bez-et-Esparon, 2003, +253p. [doc. XVI]

Leo etc. Dilecto filio Claudio de Mareul magistro generali militie Sancti Lazari Jerosolimitani, salutem etc.

Religionis zelus, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. dudum siquidem omnes magistratus ceteraque beneficia ecclesiastica, secularia et militiarum quantumcumque regularia, apud sedem apostolicam tunc vacantia et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostre reservavimus decementes extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Cum itaque postmodum magistratus generalis militie Sancti Lazari Jerosolimitani, per liberam resignationem dilecti filii Aniani de Mareul nuper ipsius militie magistri generalis de ille, quem tunc obtinebat per dilectum filium Bonacursium de Oritellariis clericum Florentinum, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam apud sedem predictam vacaverit et vacet. Ad presens nullusque de illo preter nos hac vice disponere potuerit sive possit reservatione et decreto obsistentibus supradictis, nos tibi qui ut asseris in quinto decimo vel circa tue etatis anno constitutus ac dicte militie frater existis, ac pro quo carissimus in Christo filius noster Franciscus Francorum rex christianissimus nobis per suas litteras humiliter supplicavit, premissorum meritorum tuorum intuitu, specialem gratiam facere volentes teque a quibusvis [...] etc. censentes magistratum predictum ad quem consuevit quis per electionem assumi ac cuius et preceptorie sive domus generalis et conventualis que caput preceptoriarum et domorum dicte militie citra et ultra mare existit eiusdem Sancti Lazari de Bongniaco militie huiusmodi Aurelianensis diocesis, ac aliorum eidem magistratui forsann annexorum, insimul fructus redditus et proventus quinquaginta ducatorum auri de camera secundum communem estimationem valoris annui ut etiam asseris non excedunt, sive premissis sive alio quovismodo quem etiam si ex eo quevis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultet presentibus pro expresso haberi.

Volumus aut ex alterius cuiuscumque persona seu per similem dicti Aniani vel cuiusvis alterius resignationem de illo in Romana Curia, vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam vacet etiam si tanto tempore vacaverit quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Consilii ad sedem predictam legitime devoluta ipseque magistratus dispositioni apostolice specialiter vel aliis generaliter reservatus existat et super eo inter aliquosvis cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso pendeat indensa dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, cum annexis predictis, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo etiam providemus, non obstante felicis recordationis Bonifatii pape VIII predecessoris nostri et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte militie iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus stabilimentis usibus et naturis contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi facientibus de magistratibus huiusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel aliis quomodolibet sit processum quibus omnibus te in assecutione dicti magistratus volumus anteferri.

Sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem magistratum seu beneficiorum aliorum preiudicium generari aut si venerabili fratri nostro patriarche Jerosolimitani vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint quodque de magistratibus huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem electionem seu quamvis aliam dispositionem

communiter vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenorum existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis aut quod ad obtinendum magistratum predictum defectum etatis premissae in illius quinto decimo anno predicto vel circa constitutus ut preferitur pateris nos eum [...] ut magistratum huiusmodi vigore presentium recipere et retinere libere et licite valeat, defectu predicto ac Lateranensis Concilii et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus stabilimentis usibus et naturis supradictis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, dicta apostolica auctoritate tenore presentium de specialis dono gratiae dispensamus, proviso quod magistratus predictus debitis propterea non fraudetur obsequiis; et insuper prout est irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsitan est hactenus vel imposterum contigerit attemptari.

Nulli ergo etc. nostre absolutionis collationis provisionis dispensationis voluntatis et decreti infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo decimo nono, tertio kalendis junii, pontificatus nostri anno septimo.